







1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.

1669.

1. Fingerus, Michael: De jure sibi dicendo.
2. Giesler, Fridr.: De nominum mutatione et accey-  
onis scriptoribus ad l. un. C. de mutat. nomin.  
23 unpt. 1671: 1679.
3. Giesler, Fridr.: De jure coemeteriorum.
4. Romanus, Paul. Franciscus: De possessione.
5. Romanus, Paulus Franciscus: De pupillari substitutione.
6. Romanus, Paulus Franciscus: De advocato.
7. Romanus, Paulus Franciscus: De antiquae  
8. ~~Salzmann~~ Salzmann, Balt. Fridr.: De descriptionis antiquae  
varietate.
9. Salzmann, Balt. Fridr.: De descriptionis antiquae varietate.
10. Schiltnerus, Gotthardus: De acquisitione derivativa  
dominii facto hominis.
11. Schwendendörffer, Bartholomaeus Leonhardus:  
De femina.
12. Schwendendörffer, Bartholomaeus Leonhardus:  
De poenis.

1669.

13. Schreuden doerfferus, Bartholomaeus Leonhardt:

De iuribus dotium.

149, D, C, Schreuden doerfferus, Bartholomaeus Leonhardt:  
De accusatione contumaciae. 3 Bunt. 1/2 Bl.

1718-1719.

15. Schreuden doerfferus, Bartholomaeus Leonhardt:

De lege Falcidia.

16. Schreuden doerfferus, Bartholomaeus Leonhardt: DC

in duobus sive rescriptis memoratis

17. Sulzberger, Sigismundus Rapertus: De abortu.

18. Tellerus, Antonius: De constituto possessorio



1669.

13. Schauder'sche Pflanze, Bartholomäus, Landwehr  
7. 1. 1718. 1719.

14. Schauder'sche Pflanze, Bartholomäus, Landwehr  
Deutsche Beschreibung, 1718. 1719.

15. Schauder'sche Pflanze, Bartholomäus, Landwehr  
7. 1. 1718. 1719.

16. Schauder'sche Pflanze, Bartholomäus, Landwehr  
in der Beschreibung, 1718. 1719.

17. Schauder'sche Pflanze, Bartholomäus, Landwehr  
7. 1. 1718. 1719.

18. Schauder'sche Pflanze, Bartholomäus, Landwehr  
7. 1. 1718. 1719.





12080.  
Co

N<sup>o</sup> 24

1669-121

I. N. J.  
DE

CONSTITUTO  
POSSESSORIO,

INDULTU

AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS

PRÆSIDE

ROMANO TELLERO,  
PHIL. ET JURIIUM D.

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO  
MAXIME HONORANDO

DISPUTABIT

AUCTOR

EZECHIEL GÜNTZER/  
CYGN. MISN.

IN AUDITORIO PETRINO

AD D. XVII. JUNII.

M DC LXIX.

---

LIPSIAE

Typis JOHANNIS GEORGI

*A. J. D. S. J. P. M.*

V I R I S

Amplissimo, Consultissimis ac multi-  
jugâ rerum experientiâ prudentiaqve  
Præclarissimis

Dn. JOHANN-GEORGIO BREHMIO,  
Districtûs Altenburgensis Præfecto  
spectatissimo,

&

Dn. CHRISTIANO CRONBERGERO,  
Syndico ac Poligrapho penes Annabergenses gra-  
vissimo, ut & Jurium Practico ibidem  
felicissimo,

Dominis, Cognato, Affini, ac Patro-  
nis Fautoribusqve maximè honorandis,

Juridicum hoc specimen

tanquam ulterioris favoris  
incitamentum

eâ qva per observantiâ

offert

Ezechiel Guntzelius.

I. N. J.  
DISPUTATIO

De  
CONSTITUTO POSSESSORIO,

§. I.

**R**erum possessiones, quæ spontè commutantur, transferuntur Traditionibus. Traditio modò vera, modò ficta est. Ficta nempe, cum res non tradita pro traditâ habetur. Fictio vel brevi manu fit, *l. 43. §. 1. de I. dot.* vel longâ manu, *l. 79. de solut.* vel per symbolum, *Dn. Strauch. Dissert. 6. aph. 39.* Traditio brevi manu fit, cum accelerando negotio, aut omnes, aut quædam actiones occultantur, *l. 3. §. pen. de don. int. V. & U.*

§. 2. Itaq; & brevi manu res tradita intelligitur, quoties id, quod nostro nomine possidemus, alieno nomine possidere incipimus. Ordo naturalis hic esset, ut res à te ad alterum proficisceretur, ab altero ad te rediret. Nunc nihil horum fit, & tu tamen possidere desinis, alter possidere incipit, nudâ voluntate vestrâ, nullâ traditione interveniente. Sed fingitur traditio.

§. 3. Quippe constat, & animò solò possessionem amitti, *l. 3. §. 6. l. 17. §. 1. de A.P.* & eandem nobis per alios acquiri, *t. t. Inst. per quas pers. acquir.* Simul ac igitur constituis, alterius nomine possidere, duo contingunt, nempe ut à te quidem possessio recedat, ad alterum verò transeat. Licet enim corpore tuò insistas rei, tamen cum nolis rem tibi amplius habere, possessor dici non potes. Cumq; alienò nomine possidere cæperis, alterum possessorem fecisti tuò ministeriò.

§. 4. Illud intelligitur, hâc viâ possessionem transire, modò cujus nomine, ejus & voluntate possideri cœptum est. Sanè si in fundò sis, & nolis eum amplius possidere, protinus amittis possessionem solò istò animò. Ei verò, cujus nomine fundum possidere constituis, non prius possessio acquiritur, quàm ubi ille in hoc consenserit. Ut enim in verâ traditione, sic etiam in fictâ concurrat oportet affectus ex utraq; parte, ut habeat alter mentem amittentis, alter acquirentis, *l. 55. de O. A.*

§. 5. Pacta autem, quibus efficitur, ut alteri acquiras possessionem tuam, quam ejus nomine cœpisti, sunt Conductio, Precarium, Exceptio

ceptio ususfructus & cætera negotia, quibus possessio per alium acquiritur. Deniq; Constitutum, quod vocant, Possessorium. Cujus tractatum liceat ab Affinibus ejus exordiri, ut quæ cognitu faciliora sint.

§. 6. Primò *conductione rei*, quam possidemus, possessionem nostram amittimus, tanquam ei, à quo conduximus, traditam & acquisitam. Textus est *in l. 77. de R. V. it. in l. 28. de A. P.* Namq; & per colonum possessio acquiritur, & colonus, non sibi, sed locatori possidet.

§. 7. Alterum est *precarium*. Quam rem cum possiderem, precario rogavi, ejus possessionem etsi non tradidi, in eum tamen, quem rogavi, transluisse videri debeo. Facit *l. 21. pr. de A. P. l. 6. pr. pro emt. l. ult. pr. de prec.* Parvi autem refert, utrum rogaverim, ut in possessione essem, an ut mihi possidere liceret. Nam utroque casu possessio mutatur. Primo casu nulla dubitatio est, quò & naturalis & civilis possessio transfertur. Non enim ullò modò possidet, qui in possessione est, *l. 10. §. 1. de A. P.* Alterò casu, qui frequentior est, quin si credimus Bachov. *ad Tr. 2. D. 21. th. 4. lit. F.* secundam naturam hujus conventionis, tametsi naturalis possessio ab eò, qui rogavit, retineatur, civilis tamen transfertur, quod aperte dicit *l. 15. §. 4. de precar.* nec obscure significatur *in l. 3. §. 5. de A. P.* ut mirer Cujac. *in l. 21. pr. d. t.* scripsisse, hoc casu illum solum possidere, qui rogavit.

§. 8. Porro speciem traditionis (ut loquar cum Theodosiò *in l. ult. Cod. Ipsi de donat.*) inducit *retentio sive exceptio ususfructus*. Statim enim atque alienandò rem meam ususfructum ejus mihi recipio, traditio facta videtur, quandoquidem ususfructus, ut est pars servitutis, cum proprietate in unâ re apud eundem consistere non potest. *l. 5. pr. si ususfr. per.* Dum igitur, ususfructum retines, apud alterum proprietatem esse necesse est. Cæterum alteri proprietatem acquiritur, nisi ei tradita res intelligatur.

§. 9. Sustulerat aliquando hanc fictæ traditionis speciem Theodosius Junior. Constitutio extat *in l. 8. Cod. ipsius de donat.* Sed nondum biennium erat elapsum, cum eam renovavit ipse *in l. ult. Cod. sui d. t.* ratus observationem juris contrahendam potius, quam propagandam esse. Observationem juris, i. e. solennitatem juris seu scrupulositatem. Ex d. l. ult. nata est *in Cod. Justin. l. quicquid 28. de donat.* quem textum Azo in summâ scribit esse unum è mirabilibus mundi. Sed & idem constituit Justinian. *in l. 35. §. 5. C. eod.*

§. 10. Hoc jus autem de exceptione ususfructus, scil. ut idem sit usumfructum retinere, quod tradere, an veteribus Jctis cognitum fuerit, videamus. Sanè Theodos. in *d. l. ult.* jus pristinum, olim inductam speciem appellat. Veruntamen ut olim, ut antiquum aliquid dicatur, satis est, si vel centum annos receptum fuerit, vel inductum. Et Jcti veteres ducentis & amplius annis ante Theodos. floruerunt. Deniq; in *l. 42. ff. de mort. c. donat.* donatio refertur, & ususfructus à donatrice receptus, **TRADITIONIBUS FACTIS.**

§. 11. Sed rursus dici potest cum Cujac. *19. obs. 18.* quod donatrix in tradendo sibi usumfructum recepisse referatur, ex eo non sequi, & in donando sine traditione corporali eum, qui sibi usumfructum recepit, non videri possessionem tradidisse rei donatæ.

§. 12. Adhæc & illud notari velim in *d. l. 42. de m. c. donat.* donationis causâ in jure cessionem factam esse. Cessio erat traditio quædam solennis, cujus ritus extat descriptus apud Boët. in *Top. ex Instit. Gaji nostri.* Is scil. cui res in jure, præsentem Magistratu, cedebatur, rem tenens vindicabat. Ut autem retentio ususfructus pro traditione sit, casus non debet poni de solenni aliquâ alienatione per cessionem vel per mancipationem, sed de minus solenni per simplicem traditionem. Et valdè vereor, ut verba, *traditionibus factis*, in *l. 42.* Jcti sint, quoniam in cessionibus non tradere, sed vindicare dicebant.

§. 13. Hoc igitur jus de exceptione ususfructus antiquum est, nec fortè veteribus Jctis incognitum. Sed nova nunc iucurrit hæsitatio, in quibus causis retentio ususfructus pro traditione habeatur. In *l. ult. C. Theodos.* mentio fit donationis & in dotem dationis, ut in his causis idem sit usumfructum retinere, quod tradere. In *l. quisquis Cod. Just.* additur venditio. Ubi venditionis verbò omnem alienationem contineri scribunt, ut in *Lege 12. tabb. l. 29. §. 1. ff. de statulib.*

§. 14. Sed reprehensus est Tribonianus ab Hottom. *quest. ill. 11.* his verbis: *Facinorosus Tribonianus contra omnem juris veteris rationem adiecit VEL VENDENDO.* Nimirum cum vellet evincere, Dominium sine possessione regulariter non acquiri, non putabat Triboniano parcendum, qui ista additiuncula omnes rationes ejus videbatur conturbare. Haud conturbavit tamen, neq; ob id reprehensione dignus fuit. Dominium citra possessionem non acquirat, qui per alium possessionem adipiscitur. Quemadmodum igitur per tertium, cui u-

sum fructum constituis, ita si Domino rem suam alienanti usumfructum permittis, per hunc ipsum possessionem adipisceris. Quod enim ille, idem & hic ministerio suo facit. Ergò dominium citra possessionem acquirere neq; hoc neq; illo casu dici potes.

§. 15. Et cum fictæ traditiones in omni genere alienationis, deniq; in venditionibus adhibeantur, quare non hæc in illis fictionis species recipiatur? Quod autem specialiter de donatione, & de dotali datione in Constitutione Theodosiana cautum fuit, non temerè quis factum putet. Nota est lex Cincia A. U. C. 549. lata de donationibus mancipatione vel traditione perficiendis, ne improvidâ profusione homines bonis suis evolverentur. Sumus enim ad promittendum, quàm dandum faciliores *l. 4. in f. ad Sct. Vellei.* Ex pacto nulla actio dabatur, præterquam si stipulatione munitum erat. Theodosius igitur hanc quasi traditionem, quâ res à donatore non proficiscitur, retentionem inquam usus fructus velut in fraudem legis Cinciae inductâ, reprobavit, mox in usum revocavit. Sed & de dote diligens apud antiquos fuit observatio. Nam neq; hæc sine traditione perficiebatur, nisi dicta fuerat, h. e. verbis solennibus promissa, hinc enim non minus atq; ex stipulatione verborum obligatio.

§. 16. In emtione-venditione aliud observatum est omni tempore. Statim enim atq; de pretio convenit, obligatio ultrò citroq; nascitur. Opus est neq; stipulatione firmandæ obligationi, neq; traditione perficiendo negotio. Breve faciam, in *l. quisquis C. Just. de donat. verbum venditionis* redundat magis, quàm perperam insertum reperitur.

§. 17. Venimus ad **CONSTITUTUM POSSESSORIUM.** Quod dictum est ad differentiam constituti obligatorii, ejus scilicet: de quo in *tit. ffortum & Cod. de pec. constit.* Quemadmodum enim illud pactum conventum est de obligatione aliquâ solvendâ: Ita hoc conventio ut ille, qui hæcenus suo nomine possedit, alterius nomine possideat.

§. 18. Constituti Possessorii sedem ponunt in *l. quod meo 18. ff. de A. P.* ejusq; clausula frequens & quotidiana est. Sed Giphanius in *lect. Althorph. ad l. 10. ff. de donat. n. 11.* figmentum id Glossographorum dicit. Tametsi verò ab illo genere hominum errores haut pauci sunt inventi, eos tamen vexare hac in re non ausim.

§. 19. Ait (1) *totò jure ejus constituti nullam aut volam aut vestigium*

gium extare. In l. 18. de A. P. alios modos excogitari posse, quibus alieno nomine possideamus, quod nostro nomine possedimus. Ipsumq; adeo factum in verbis: Procurator alienæ possessioni præstat ministerium; afferre exemplum in procuratore. Quid igitur, si eum, qui constituit, procuratorem dicemus? Procurator est, qui aliena negotia mandatu domini administrat l. 1. de Procun. Ratihabitio mandato comparatur l. 60. de R. J. Itaq; qui dicit, alterius nomine se possessurum, qui suo ipsius nomine possedit, altero id ratum habente, procuratorio officio fungetur. Altero id ratum non habente, nec constitutum est, per tradita in §. 4.

§. 20. Ait (2) in acquirenda possessione naturalis seu corporalem apprehensionem requiri. Hanc neq; in constituente, neq; in constitutario contingere. Namq; ab alterâ parte verba & voluntatem, ab alterâ parte voluntatem & consensum intervenire. Imò ab utraq; parte naturalis apprehensio intervenit. Constituens rem, quam hæcenus possedit, nunc nomine constitutarii apprehendit. Constitutarius corpore non suo quidem, alienò tamen, constituentis scilicet possessioni incumbit. Quemadmodum ille, qui per extraneum procuratorem possessionem apprehendit, possessionem apprehendisse ineptè negatur: Ita nec illi qui per veterem possessorem possidere cœpit, possessio negari potest.

§. 21. (3) Desiderat Giphanius aliquid, supplens naturalem & corporalem traditionem, quale in unoquoq; civili modo transferenda possessionis habeatur. Ita conductionem haberi, precarium haberi, exceptionem usufructus &c. Atqui nec in constitutò deest, quod suppleat corporalem traditionem, videlicet mandatum seu ratihabitatio, quæ omni constitutò continetur.

§. 22. Sequitur ut tractemus, qui constituere possunt. Possunt autem omnes, qui liberam habent alienandi facultatem. Ex quo ultrò fluit ejusmodi facultatem non habentem constituere non posse.

§. 23. Non possunt autem vel prohibente Naturâ, vel Lege. Naturâ iterum ob defectum aut animi aut corporis. Ob defectum animi prohibetur (1) Infans qui nullum habere intellectum dicitur §. 10. Inst. de in util. stipul. l. 1. §. 9. de A. P. Nec autore quidem Tutore potest, arg. l. 3. C. eod. Sed excipitur infantix proximus d. §. 10. Inst. de inutil. stipul. consentiente tamen tutore l. 9. §. 2. de auctor. tut. §. ult. Inst. quib. alien. licet vel non. adde l. 5. ff. de R. J.

§. 24.

§. 24. (2) Furiosus arg. l. 40. ff. de R. J. Nam furor definitore Cicerone 3. Tusc. est mentis ad omnia cæcitas. Furiosus autem hic intelligitur perpetuo furore laborans l. 12. §. 2. ff. de Judic. cum hic per omnia & in omnibus absentis & quiescentis loco habeatur l. 2. §. 3. ff. de Jur. Codic. l. 124. §. 1. ff. de R. J. Imò nec cum curatoris consensu constituere potest arg. l. 5. d. R. J. vide Bachov. ad Treut. v. 2. D. 21. th. 3. lit. A. Sed aliter sese res habet cum eo, qui certosaltem tempore agitatur. l. 6. C. de curat. fur. hic enim per intervalla insanix potest constituere, arg. §. 1. Inst. quib. non est permiss. fac. test. l. 2. C. de contrahend. emt.

§. 25. (3) Mente captus de quo idem esse dicendum censemus, quod de furioso dictum est. arg. l. 23. §. 1. de donat. Schneid. ad §. 3. de Curat. n. 9.

§. 26. (4) Ebrii quia nesciunt quid loquantur, c. sane, 15. quest. 1. ista siquidem ebrietas mentis exilium dicitur c. 14. X. de vit. & honest. Cleric. & cum furore comparatur, c. venter. 35. distinct. Sed, si crapula exhalata, constitutum habuerit ratum, tunc valet.

§. 27. Ob defectum corporis naturam prohibetur mutus & surdus arg. l. 10. C. qui testam. fac. poss.

§. 28. Prohibente lege non possunt. constituere quidam propter infirmitatem judicii, quidam propter potestatem, cui subsunt. Propter infirmitatem judicii (1) Pupillus pubertati proximus, qui tamen interveniente tutoris auctoritate potest, arg. l. 5. l. 189. de R. J. l. 43. ff. de O & A. (2) Minorennis curatorem habens arg. l. 3. C. de integr. restit. (3) Mulier in foro Saxon. sine consensu Curatoris Dn. Carpz. p. 2. c. 15. def. 1. seqq. comparatur enim minori Hieron. Pantzschm. pact. 2. q. 5. Dan. Moll. ad Const. Elect. 15. part. 2. n. 99. Zang. de Except. Part. 3. c. 1. n. 96. A. Rauchb. qu. 32. n. 51. & seqq.

§. 29. His (4) addimus Prodigum cui interdictum est bonis l. 10. pr. de Curat. fur. l. 6. de V. O. l. 3. C. de in integr. restit. Dn. Carpzov. p. 3. C. 6. def. 10.

§. 30. Propter potestatem, cui subjiciuntur, non potest (1.) filiusfam, quoad peculium tam profectitium, quam adventitium regulare l. 8. §. 5. vers. filius a. familias C. de bonis quæ liber. Secus quoad adventitia irregularia Nov. 117. c. 1. auth. excipitur C. d. t. quia de hisce pro lubitu filiosfam. disponere licitum est, Matth. Wesenb. in parat. ff. de



de Castrens. pecul. n. 2. Anton. Perez C. eod. n. 2. Dn. Johan. Brunneman  
ad l. un. C. eod. Ludvell. in Exercit. 6. th. 13. lit. A.

§. 31. (2.) Servus, qui nihil proprii habet, sed quicquid acquirit, domino acquirit, etiam invito §. 3. Inst. per qu. pers. cuiq. acquirit. l. 10. §. 3. ff. de A. R. D.

§. 32. Hic oritur quaestio, an Monachi possint constituere? Negatur, quia ne cappam quidem quam habent, possident. Panormitan. in cap. preposuit de concess. prabent. n. 15. & in c. cum venissent de restitut. n. 5.

§. 33. Aliam adhuc regulam oportet observari de illo, qui constituere velit, ut possideat. Non possidens constituere non potest. Apparet igitur nudos detentatores, qui tantum in possessione sunt, constituere non posse, veluti servus, l. 1. §. 5. de A. P. Inquilinus & colonus l. 6. §. 2. de Precario.

§. 34. Illud non refert, naturaliter an civiliter quis possideat, Tiraqvell. de Jur. Constit. poss. part. 2. ampl. 20. Itaque & creditor constituere potest, licet animo domini non possideat l. 13. §. 1. de Publ. in rem act. i. e. civiliter potest & superficiarius, Emphyteuta, Vasallus, Usufructuarius. Licet enim usufructus sit jus inseparabile, quodque extraneo frustra ceditur §. 3. Inst. de Usufr. quia statim ad dominum proprietatis revertitur l. 66. de Jur. dot. Commoditas tamen sive perceptio fructuum in alterum transferri potest d. l. 66. Tiraqvell. d. l. ampl. 33.

§. 35. Antequam hinc abeamus, quaeritur, an procurator possit constituere? Resp. Distingvendo inter Procuratorem generali mandato à domino munitum, & inter procuratorem ad certam tantum speciem mandatum habentem v. g. ad vendendum fundum &c. Priori casu affirmatur per §. 43. Inst. de R. D. & l. 9. §. 4. de A. R. D. l. 12. de pignorat. act. vid. Hillig. ad Donell. enucl. lib. 4. c. 15. It. Colleg. Argent. th. 7. de procurat. Posteriori negatur per l. 1. §. 1. de offic. procurat. Cas. l. 63. de procurat. l. 10. C. eod. quia procurator mandati formam egredi non debet l. 5. pr. ff. mand.

§. 36. Ceterum & Tutores & Curatores hodie observatis solennibus constituere posse tradit Tiraqvell. part. 3. lim. 15. n. 3. Nam prima fronte negandum hoc videtur (i.) quia duo singularia circa eandem rem & eandem personam concurrere non debent l. 1. C. de dot.

B

promiss.

*promiss.* Atqui constitutum est modus transferendæ possessionis fictus. Et per tutorem vel curatorem ut acquiratur possessio jure singulari videtur receptum. Sed quia pupillorum interest, hoc modo transferri possessionem ex æquitate contra subtilitatem juris defendi oportet, ut in consequentiam licitæ alienationis possessionem rei pupillaris transferri necesse sit, sufficiat in eam clausula Constituti, Anton. Fab. in C. tit. 7. def. 17.

§. 37. Omnibus autem potest constitui, qui facultatem acquirendi & apprehendendi habent. Facultatem acquirendi habent omnes liberi homines, ideoque firmiter concluditur, posse & illis constitui; Nec excluditur pupillus, nam & hic facultatem ejusmodi habet, imò sine tutoris autoritate illi constitui potest, arg. l. 32. §. 2. in fin. ff. de A. P. si modo per hujusmodi constitutum ipsius conditio melior redditur. Nec Infans excluditur, verum adhibita tutoris auctoritate l. 1. §. 5. l. 32. §. 2. ff. d. t.

§. 38. Sed & absenti rectè constituitur, si modo statim scientia interveniente Constitutum ratum habuerit, arg. l. 24. de Neg. gest. quia per alium, liberum scil. hominem, possessionem acquirere licet, l. 20. §. f. de A. R. D. l. 53. ff. eod. l. 1. C. de A. P. Vinn. ad §. 6. Inst. n. 1. per quas person. Rati habitio autem adeò necessaria est, ut etiam sine illa, licet pro eo Notarius acceptet & stipuletur constitutum, nulla transferatur possessio in absentem. Tiraqvell. d. tr. p. 3. lim. 30. n. 8. nihil verò officit, an tacite an expresse ratum habuerit. idem ibid. n. 11. Philip. Decius Consil. 586. colum. ult. Hieron. Grat. cons. 12. quia generale est, ut tam tacite, quam expresse ratum habere possimus, quod nomine nostro gestum est, l. 23. §. 1. ff. de inoffic. testam. l. 7. §. ult. ad Scrum Maced. l. 26. §. 1. de pignor. l. 39. de pignorat. act. l. 66. de fidejuss. l. 12. §. 1. & ibi Bartolus ff. rem ratam hab. l. 9. §. 1. C. de Condict. Indeb.

§. 39. Sed hic quæritur an & furioso constitui possit, quia pro absente habetur l. 2. §. 3. de Jur. Codicil. ? Negatur, cum nullam negotium gerere vel contrahere possit, §. 8. Inst. de inutil. stipul. l. 5. & l. 40. ff. de R. J. ita, ut si stipuletur, sive promittat, nihil eum agere naturam manifestum sit, l. 1. §. 12. ff. de O. & A. ne quidem curatoris consensu adhibito d. l. 5. ff. de R. J. Quoniam sensu caret l. 22. §. 7. Sol. matr. §. 1. I. quib. non est perm. fac. test. Ubi non est sensus, ibi non potest esse consensus, ubi non est consensus, nullum geri poterit negotium, quod curator approba-

proba-

probare habeat. Prius enim est, ut quid ipse gerat, quam curator, gestum comprobet. *l. 3. ff. de autor. tut. vid. Hillig. ad Donell. enuc. lib. 7. c. 9. lit. A.*

§. 40. Post personas sequitur de rebus. Notum est, omnes res aut in commercio esse, aut extra commercium. Et quæ in commercio sunt, possideri possunt. *l. 34. §. 1. ff. de contrah. emt. & per consequens etiam constitui.* Ejusmodi autem res sunt omnes privatæ, ac singulorum, sive Jure Gentium sive civili acquisitæ, §. 11. *Inst. de R. D. arg. l. 23. pr. ff. de R. V. & sive verè ac propriè possideantur, ut res corporales, l. 3. pr. ff. de A. P. sive impropriè, ut res incorporales, quæ sunt servitutes, Jurisdictiones, jura & cætera, l. 49 §. 1. ff. d. t. l. 2. §. fin. ff. de prec. l. fin. ff. de Servit. Bart. in l. 18. pr. colum. ult. sed quid si concedo. ff. de A. P. Francis. Aretin. ad d. l.*

§. 41. Nec refert præsentés sint, an absentes, Tiraqvell. *d. tr. p. 2. ampl. 3.* an futuræ sint. Jac. Butr. *Salic. in l. ult. C. quæ res pign. oblig. possint.* Bart. *conf. 76.* Alexan. *Consil. 85. lib. 6.* Quicquid etiam Faber per integrum *Decad. error. 75.* pro rei præsentia molitus sit.

§. 42. Verum futurarum rerum possessio per constitutum non prius habet suum effectum, quam istæ extiterint, & in potestatem constituentis venerint Tiraqv. *d. tr. p. 2. ampl. 32. arg. l. 231. de V. O.* Nec obstat, quod hic objicitur, clausulam scilicet constituti decennio elapso cessare. Resp. Ut in omnibus contractibus sub conditione aut in diem conceptis, non prius nisi conditio aut dies venerit agi potest *l. 213. de V. S.* ita quoque in constituto possessorio: Nam decennium ab existente conditione seu die computatur, Faber *d. l. def. 10.* nec præscriptio currit contra constitutarium, quamdiu constituens possidet, *l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. ann. & sic respondit Bot. Consil. 369.* Tiraqv. *d. tr. p. 1. n. 71.*

§. 43. Notandum autem hic est (1.) res certas esse debere, ne acquirens ignoret, quarum rerum possessio acquisiverit *l. 32. §. 2. ff. de Usurpat. & l. 26. ff. de A. P.* Non autem semper opus est demonstrabili certitudine, si modo rei petitæ locus & quæta, an sit tota an pars (potest tam pars, quam totum constitui Jac. Butr. *in auth. Hoc si videtur C. de Pignor.*) quodammodo demonstrari possit, eamque an pro diviso, an indiviso possidere debeat *l. 6. pr. ff. de R. V. l. 26. & 28. ff. de A. P.*

§. 44. Hinc & alter alteri bona sua in genere & universaliter

constituere potest, licet specialem earum notitiam non habeat, sufficit, si genericam Lud. Post. in l. 3. ff. de A. P. n. 38. in f. Tiraqv p. 2. ampl. 31. n. 1. & 5.

§. 45. Notandum (2.) venit, res, quas quis per constitutum transferre cupit à possessione debere esse vacuas, & ab alterius obligatione liberas, cum plures easdem res in solidum possidere nequeant, l. 3. §. 5. de A. P. l. 5. §. ult. ff. commod. l. 19. ff. de prec. Dn. Struv. Exercit. 42. th. 8.

§. 46. Quæ autem tantum ab alio detinentur v. g. à colonis illæ rectè constituuntur, & ita docet Bart. n. 2. Alexand. n. 15. Soc. n. 18. Aret. col. 2. vers. extra gloss. Alciat. n. 7. Johan. Bolog. n. 53. ad l. 18. de A. P. adde & Paul. Castrenf. ad d. l. Et licet his nominatis contradicere ausi sint Jac. de Aren. & Lud. Rom. in d. l. quibus ad stipulatur Anton. Merend. in Controv. Jur. lib. 3. c. 21. n. 2. & seqq. atque ad suam contrariam opinionem adducit l. 44. §. 2. ff. de A. P. & l. 1. §. 45. ff. de V. & V. A. Magis tamen nobis arridet sententia affirmantium. Animo enim solo mutamus & amittimus possessionem l. 3. §. 6. l. 34. pr. vers. quia animo d. l. 44. §. 2. vers. si modo de A. P. Nec sequitur possessionem per colonum retentam non ante amittimus, quam alius invasit. Ergò rem illam alienare, ejusq; nomine constituere, non licet. Cum tamdiu possessionem retineamus quamdiu velimus. l. 17. §. 1. d. t. Tantum de rebus, quæ possunt constitui.

§. 47. Res autem quæ sunt extra commercium constitui prohibentur, ut sunt Res publicæ l. 6. pr. ff. de Contrah. emt. Liberi homines l. 23. §. f. l. 30. §. 1. ff. de A. P. Excipitur ob extremam famam Filius sanguinolentus l. 2. C. de patrib. qui fil. distr. Denique res sacræ, sanctæ, religiosæ l. 30. §. 1. ff. de A. P. §. 8. Inst. de R. D. l. 21. C. de SS. Eccles. Nov. 120. c. 10.

§. 48. Sed hoc non est perpetuum verum; dantur enim à Doctoribus nonnulli casus, quibus alienatio & constitutum rerum Ecclesiasticarum permittitur, in causa scil. pietatis ad captivas redimendas d. §. 8. Inst. de R. D. l. 21. C. de SS. Eccles. Nov. 7. c. 8. & d. Nov. 120. c. 10. it. in causa pauperum alendorum, si ita premuntur, ut vitæ eorum succurre adum sit, d. l. 21. c. aurum. 70. caus. 12. quæst. 2. it. in causa aris alieni urgentis, si Ecclesia à re alieno nimium gravata sit, auth. Hoc jus porrectum, & auth. Præterea C. de SS. Eccles. & Nov. 120. c. 10. d. c. aurum

rum 12. qv. 2. Vinn. ad §. 8. inst. de R. D. Quibus casibus tamen causæ cognitio, decretum Episcopi & totius cleri consensus ac subscriptio requiritur d. Nov. 120. c. 6. §. 1. c. sine exceptione 52. caus. 12. qv. 2. Oldra conf. 309. Matthes. not. 167. Tiraq. d. tr. p. 2. ampl. 23. n. 1. Schneid. ad §. 8. Inst. de R. D. n. 9. & Ludvv. eod. n. 4.

§. 49. Sed nunc notandum est, constitutum sine præcedente contractu consistere non posse, sed semper cuidam debere adjungi arg. l. 31. pr. de A. R. D. Veluti emtioni venditioni, pignori, hypothecæ, donationi. Hinc si quis alicui fundum suum vendidit & possessionem absq; integro pretio soluto dimittere non vult, optimè sibi poterit cavere constituendo, ut interea emtoris nomine eum possidere velit, donec integra solutio facta sit, vel si venditio minori pretio celebrata est ut ad dies vitæ re vendita uti frui liceat. Sic etiã cõstituere potest donator, seu donatrix, si vivens rem de manu tradere recusat, ut donec vivat, possidere donatarii nomine velit. Exemplum constituti in donatione extat apud Zasium ad d. l. 25. ff. de A. P. n. 5. ubi refert se nobili cuidam fæminæ, quæ omnia bona sua puellæ & nobili donaverat, nec libenter ea omnia de manu tradere voluerat, consulisse, ut constitueret, se quoad in vivis esset hæc donataria nomine possidere velle.

§. 50. Præterea notandum est, tutius agi, ad melioremq; probationem & confirmationem prodesse, si præsentibus testibus constituitur, & actum constituti in scripturam redigitur l. 11. C. qv. pot. in pign. & Nov. 90. & clausula, Ex nunc prout ex tunc apponitur Tiraq. p. 3. lim. 2. n. 15. & 16. Fab. in C. sua lib. 7. tit. 7. def. 35.

§. 51. Effectus autem constituti sunt isti, quod acquiratur possessio, & acquirantur remedia, quibus per Constitutum acquisitam possessionem tueamur.

§. 52. Verùm cum possideamus tripliciter, naturaliter tantum, civiliter tantum & civiliter ac naturaliter simul, quæritur, quæ possessio per constitutum acquisita intelligatur? & respondetur de naturali & civili simul. Nam omnis possessio transfertur in Constitutarium, & ita quidem, ut nihil nisi nuda detentio penes Constituentem maneat, vid. Bald. lib. 4. Consil. 166. n. 3. Menoch. conf. 687.

§. 53. Nec ejusmodi res, in qua possessio ita est constituta, potest constituens in tertium transferre cum effectu; si autem transferret,

ret, potest prior creditor nulla bonorum hujus debitoris excussione facta (quæ alias antequam contra tertium possessorem creditor agere potest, requiritur Nov. 4. c. 2. l. 24. & Auth. Hoc si debitor C. de pignor. A. Gail. lib. 2. obs. 27. n. 7. Schneid. ad §. 7. Inst. de act. n. 81. M. Berlich. p. 2. Conclus. 24. n. 66. & seqq. Ehurst. Sächs. P. v. B. D. tit. 44. §. und das hat auch &c. D. Carpz. p. 2. c. 18. def. 17. n. 1. & seqq. & lib. 4. Resp. 68. n. 3. & Decis. 212. n. 17.) tanquam sua possessione spoliatus, qui ante omnia est restituendus l. 7. C. ad L. Jul. de vi publ. c. f. de ord. cognit. & c. 5. X. de restitut. spoliat. statim agere contra tertium ad revocandam suam illam possessionem, quam ipse ex ejusmodi constituto obtinebat. Tiraq. d. rr. p. 1. n. 54.

§. 54. Imò potest Constitutarius, si constituens facto resistit, propria autoritate per vim ingredi in possessionem, quia de illo penes quem utraq; possessio est, & per vim ingreditur, magis dicitur defendere possessionem suam, quam occupare & aggredi Bart. in l. 3. q. 2. C. de pign. Si vero Constitutarius prius adiit judicem, & judicium adversus resistentem intentavit: tunc non potest propria autoritate, sibi jus dicere vi constituti hujus. Bald. in l. 2. q. 10. C. de servit. & aq. cum qui, inquit, elegit sibi viam judicii, videatur fuisse meticulosus, & ad viam facti redire non potest, arg. l. 21. §. ult. ff. quod met. ca. ibi: quam viam ego elegerim, hæc mihi pateat. Hæc de possessione.

§. 55. Quod attinet remedia possessoria, sciendum est, Constitutarium aut de retinenda, aut de recuperanda possessione agere. Nunquam de adipiscenda, cum jamdum illam adeptam habeat.

§. 56. Ad retinendam possessionem nullæ dantur actiones: Dantur autem duo Interdicta, uti possidetis & utrobi. Illo utitur Constitutarius ad suam possessionem defendendam in rebus soli, quod ad corporales directò, l. 1. §. 1. uti possid. quod ad incorporales utiliter l. 3. §. 7. ff. d. t. l. 8. §. 5. ff. si servit. vind. Hoc utitur in rebus mobilibus §. 4. Inst. de Interd. l. un. §. 1. ff. utrub.

§. 57. Et hæc Interdicta dantur non tantum adversus turbantes ipsos, sed etiam contra eos, quorum jussu, mandato vè turbatio facta est l. 5. §. 8. & l. 11. §. 6. qu. vi aut clam. Welenb. in parat. n. 5. ff. uti possid.

§. 58. Ad hoc quidem, ut primò possessio retineatur, & conservetur d. §. Inst. de Interdict. d. l. 1. §. 1. ff. uti possid. Deinde ut à turbatione

one

one defistatur, damnumq; & interesse restituatur *l. 1. pr. & l. penult. §. ult. ff. d. t.* Et deniq; ut de non turbando in futurum cautio præstetur, vid. Duaren, *1. disp. anniverf. c. 21. Welenb. in par. ff. d. t. n. 5. Gail. lib. 2. obs. 116. n. 4. & Colleg. Argent. in tb. 14. uti pōsid.*

§. 59. Ad recuperandam autem possessionem datur primò Interdictum Unde vi, adversus eum, qui vi de possessione soli constitutarium dejecit, vel mandavit, aut ratum habuit, ad recuperandam possessionem cum omni causa §. 6. *Inst. de Interdict. l. 1. §. 40. ff. de V. & 12. A.*

§. 60. Deinde actio, quæ est condictio ex *l. ult. C. de A. P.* quam Justinianus in eorū favorem, quorū iusta possessio per alium interversa est, ad illam recuperandam à quibuscunq; possessoribus, introduxit, vid. Robert. Marant. *de Ord. Jud. p. 4. dist. 7. n. 59.*

§. 61. Non solum autem hæc condictio competit Constitutario, sed & hæredibus ejus, & quidem in annum usq; 30. Robert. Marant. *de Ord. Judic. p. 4. dist. 7. n. 60. Ant. Thesaur. decis. 105. Menoch. de remed. 14. n. ult. adde Fab. d. l. def. 39. n. 15. & tit. 10. def. 3. n. 2. Imò & illi, in quem Constitutarius jus suum transtulit. Tiraq. d. tr. p. 2. ampl. 22. Ant. Thesaur. decis. 215. n. 8.*

§. 62. Nec hæc condictione utendi ab adversario objici possunt (1) Exceptiones, quæ petitorii causam respiciunt. Fab. d. l. def. 11. cum nihil commune habeat proprietas cum possessione *l. 12. §. 1. ff. de A. P.* Nec (2) Exceptio Excussionis. Fab. d. l. def. 1. Nec deniq; (3) Reconventionis, quia est actio possessoria, quæ reconventionis moras non admittit, id. *ibid. def. 26. per l. ult. pr. ff. de appell. recip.*

§. 63. Sed hæc etiam non est prætereundum, quod ad avocandam possessionem Constitutarius expressè *d. l. ult. C. de A. P.* beneficium implorare debeat, neq; enim sufficit clausulæ constituti beneficium implorare. Fab. d. l. def. 12. n. 1. ibiq; dicit: Legem Justiniani illam esse, quæ prodigium hoc operatur, non clausula Constituti: Neque etiam hæc: peto mihi jus & justitiam administrati. Anton. Thesaur. *decis. Pedemont. §3. n. 5.*

§. 64. Insuper etiam huc pertinet actio Hypothecaria, quæ quidem spectat ad petitorium: attamen datur omnibus creditoribus, ut res quaslibet cum clausula constituti sibi oppignoratas à quovis possessore petere queant, *l. 16. §. 3. ff. de pignor. l. 14. C. eod. l. ult. C. si unus*

*unus ex plurib. heredib.* Schneid. ad §. 7. I. de act. n. 80. Carpz. decij. 27, n. 17. Hahn. ad Wesemb. parat. ff. de distract. pign. n. 1. pag. 22. p. 2.

§. 65. Et hæ duæ actiones, Condictio nimirum ex l. ult. C. de A. P. & Hypothecaria competunt Constitutario electivè non verò cumulativè, ita ut unâ electâ, non pateat regressus post litis contestationem ad alteram Fab. d. l. def. 2.

§. 66. Sed tutius est, si Constitutarius Conditionem ex d. l. ult. C. de A. P. eligit. Etenim in Hypothecaria locum habet (1.) Exceptio excussionis Nov. 4. c. 2. Gail. lib. 2. observ. 27. n. 7. per text. Auth. Hoc si debitor C. de pign. Valent. Fran. tract. de fidejuss. c. 5. n. 149. & seqq. Churf. Sächs. P. B. D. cit. 44. §. Und das hat auch ic. Carpz. p. 2. c. 18. d. 17. n. 1. & seqq. & lib. 4. Resp. 68. n. 3. & Decis. 212. n. 17. (2.) Exceptio præscriptionis 10. vel 20. annorum. Marant. d. l. n. 60. per l. 2. C. si advers. cred. præscript. Cui in Conditione possessionis, uti ex supra dictis videre est, non sunt pertimescenda.

§. 67. Veruntamen benè etiam perspicere debet Constitutarius, si agat ex Conditione possessionis, nè in libello suo petat, se in possessionem mitti, nam si ita petit, facit ut suum clausula constituti perdat effectum. Petere igitur debet, ut in possessione conservetur. vid. Fab. d. l. def. 29. & si quis hoc non benè observat, fieri solet, ut si putat se instituisse possessorium, instituerit petitorium: Nam in praxi ex porrecto libello, potissimum verò ex conclusione illius attendi solet, an petitorium, an possessorium ab actore constitutario sit institutum, Menoch. prælud. de recup. poss. n. 10. Hæc de remediis, quæ Constitutario ex constituto possessorio competunt.

§. 68. Haut immeritò quæritur, an etiam remedia ad suam detentionem tuendam Constituenti ex dicto Constituto nascantur? Et respondetur omninò. Nam si constituentem in sua detentione aliquis turbet, aut planè dejiciat, potest Constituens contra turbantem s. dejicientem (1.) uti imploratione officii judicis, & petere, ut sine molestia in detentione sua maneat, aut si expulsus sit, ut restituatur, arg. l. 27. ff. de donat. Menoch. remed. ret. 19. n. 18. & remed. recup. fin. n. 21. Frideric. Mindan. de mater. poss. c. 3. n. 4. Paulus Castrens. ad l. 27. n. 5. de donat.

§. 69. (2.) Si rem constitutivam à Constitutario conduxerit, & ab eodem turbatus fuerit, convenire potest Constitutarium actione ex  
Locato



Locato ad interesse, & ut impofterum tranquille re frui conducta  
queat. Menoch. *rem recup.* 17. n. 21.

§. 70. (3.) Deniq; si à tertio quodam turbatio vel dejectio  
facta sit, potest agere Constitutarius, ut cedat interdictum uti possi-  
detis, vel unde vi, vid. Menoch. *l. cit.*

§. 71. Jus per Constitutum quæsitum amitti solet (1.) soluto  
debito, arg. *l. 11. ff. de prec.* si nimirum ita conventum, ut tamdiu cre-  
ditor possessionem habeat, donec debitum illi sit solutum, aut alio  
modo satisfactum.

§. 72. (2.) Si Constituto lis movetur, nec Constitutarius tem-  
pore constituti constituentem possedisse probat, Bald. *ad l. 9. §. 1. ff. de  
Public. in rem act.* Tiraqv. *p. 3. lim. 1. n. 8.*

§. 73. (3.) Retraditione fictâ. Quod enim nuda voluntate  
contrahentium effectum est, quare non eorundum nudâ voluntate, in  
pristinum statum restituatur *l. 1. C. quâd. lic. ab emt. disced. l. 58. ff. de pact.*

§. 74. (4) Præscriptione 30 vel 40. annor. Decem annorum, si post  
mortem Constituentis Constitutarius, qui potuit implorare benefi-  
cium clausulæ constituti per decennium integrum neglexerit, postea si-  
ve de retinenda sive de recuperanda possessione agere velit, non ad-  
mittitur, quia censetur per negligentiam suam amisisse constitutiam  
possessionem, ac veluti de relictam habuisse illam. Tiraq. *d. tr. p. 3.  
lim. 21. n. 9. per l. 37. §. 1. ff. de usucap. & per l. 40. §. 1. ff. de A. P. add. Fab.  
d. l. def. 39. n. 13.* Triginta verò annorum præscriptione, si ante mor-  
tem constituentis possessio sit interversa, nec beneficio *d. l. ult. C. de  
A. P. usus est Constitutarius.* Namq; hoc beneficium *d. l.* hoc casu com-  
pedit Constitutario, & heredibus ejus in annum usq; trigessimum, quia  
condictio ex lege est perpetua, duratq; usq; ad 30 annum, ut vult Me-  
noch. *de remed. 14. n. ult. Thesaur. decis. 105. Afflict. decis. 139.* quos & se-  
quitur Fab. *d. l. def. 39. n. 15.*

§. 75. Sed putant nonnulli etiam morte Constitutarii amitti  
Constitutum, magis autem illis qui contrarium tenent adhærendum  
esse judicamus. Nam vis Constituti mortuo Constitutario transit  
ad hæredes ejus ut scil: eorum nomine non minus possidere constitu-  
ens videatur, quam defuncti nomine possederat. arg. *l. 8. §. 1. ff. de prec.  
& l. 12. §. 1. ff. eod.* Tiraq. *p. 2. ampl. 12.* Deinde datur quoq; heredi-  
bus Constitutarii Condictio ex *d. l. ult. C. de A. P.* Ergò non potest morte  
constitutarii Constitutum amitti.

S. D. G.

C

COROL.

## COROLLARIA.

Nulla est pugna inter *l. 2. §. 1. de Relig. & l. 6. §. 6. de comiti. divid.*  
Et malè Cujacius in Papin. *ad l. 43. de Relig. in d. l. 6. Trebatii &*  
*Labeonis sententiam referri, non probari scripsit.*

Nec est pugna inter *l. 52. §. 22. de fart. & l. 18. §. 3. de dol.*  
Neq; tamen ideo nulla est, quasi actio doli cum actione furti  
concurrat. Hoc enim nollem à Bachovio scriptum in *Protis*  
*rit. de dol. Quem (1) nihil juvat l. 9. §. 1. d. t. (2) nimis aper-*  
*tâ re fellit. l. 7. §. 1. eod.*

Ex diverso pugna est inter *l. 26. pr. de A. R. D. & l. 66. de R. V.*  
Quæ tamen non in eo consistit, quasi Paulus *in d. l. 26. ex men-*  
*te Proculianorû novam speciem auctori ejus concesserit, con-*  
*tra Minicius in d. l. 61. ex mente Sabinianorum eandem Domi-*  
*no materia.*

Sed & pugna est inter *l. 15. de reb. cred. & l. 34. mand.*

Creditori ante diem solvi potest invito.

Quæ Jure legati fide commissi, aut conditionis inplen-  
dæ causa capiuntur inputantur in Trebellianicam.

---

Indicat ingenium rara hæc possessio rarum,  
Possessor rari sis, precor, inde boni.

Quirinus Schacher / D.  
Consiliar: Elector: ab Appellat.

---

Pognatus fuerat Cygnicis Haloander in arvis  
Stella olim cœli lucida Juridici.  
Cygneus Cygnei hujus vestigia calcas  
GUNTZELI, & Patriæ post Haloander eris.

Perquam eruditè docto Domino Respondenti Auctiori suo  
summe industrio L. M.Æ. app.

D. P. F. Romanus, P. P.

\* \*  
\*

AUDITORI SUO  
DN. EZECHIELI GÜNTZELIO  
S. D.

D. ROM. TELLER.

**E**cce materiam Disputationis ex abditis legum recessibus explicitam, sed in foro haud insolentem, nec in rebus contrahendis nullum usum praestantem. Periculum in cathedra Academicâ facturum es, de eâ disciplinâ, cui pra aliis haecenus operam dedisti. Places igitur vehementer, quod argumentum ex meditullio istius disciplinae adhibere & in eo specimen ingenii dare voluisti. Quam enim laudem expectare a prudentibus poteras, si apud Jurisperitos disputaturus vires in alieno studio, aut in observatiunculis longius arcessitis & plerumque levibus consumere studuisses? Miseros, qui ad hunc modum errant, qui istis nugis sibi met placent. Dolendi vero non minus illi, qui per hos a vero tramite abducuntur. Tu veram ingressus viam non potes illo, quo contendis, non pervenire. Porro ad Curias ex hoc loco properas, advocando legalem tuam scientiam jactaturus. Atque huic etiam scopo quam maxime congruum est hoc scriptum tuum, quippe quod instituisti de rebus quotidianum usum habentibus. Poteris clientes & consultores tuos docere viam transferendi domini commutandae possessionis facilem & commodam, quâ multae ambages, multae molestiae evitentur. Donavit ille bona sua alteri, quem etiam cupit ea statim habere.

re.

re. Verùm timet ea, quæ donavit, tradere. Quid consilii? Dices ei ex Zafio in l. 21. de A. P. n. 5. ut constituat se interim possidere velle alterius nomine. Hoc modò penes donatorem bona relinquentur, donatio tamen quasi traditione perficietur. Alius rem suam vendidit, ac constituit se emtoris nomine possessurum. Emtor non amplius actione in personam utitur, est enim possessionem adeptus. Quid igitur, si tertius rem possidere coeperit? Ipse emtor actione in rem experietur, ac dicet rem suam esse. Quid, si postea res eadem alteri sit vendita, & verè ac naturaliter tradita? An hic posterior in possessione contra priorem emtorem tuendus erit, quasi prior possessionem acceperit? Minimè verò. Prior emtor à posteriore possessionem revocabit, quod prius possessione potius sit, scil. per Constitutum possessorium. Item finge debitorem, cuius rebus aliquis creditorus est, etsi non ipsi. Ille neq; rerum possessionem dimittere vult, neq; ab alterò pecuniam, quam rogabit, rebus non traditis obtinere potest. Utriq; consulueris, si debitorem admoneas, ut res obligatas creditoris nomine se possessurum constituat. Namq; hoc pacto alteri usum rerum suarum conservabis, alter bona non nudà conventionem obligata habebit, adeò ut postea proprià auctoritate in illa ingredi possit, neq; exceptionem excussionis à tertio possessore metuere debeat. Desino, & finem facturus Tibi acclamo: Disputa fortiter ac feliciter, & eum Te virum in defendendis thesibus præsta, quem in conscribendis præstitisti. Mereberis applausum. Hòc autem adeptò noli nimis lascivire & otio Te dedere. Præmia restant adhuc atq; honores, qui eos sequuntur, apud quos laudes non malè collocantur, h. e. qui rem benè gerere non intermittunt, postquam semel laudari se audiverunt. Cæterum DEO & Promotoribus Te tuaq; studia commendo. Dabam d. 14. Junii A. C. 1669.






X2615907

VD 17









12080.  
Co

N<sup>o</sup> 74

1669. 21

I. N. J.  
DE

# CONSTITUTO POSSESSORIO,

INDULTU

AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS

PRÆSIDE

ROMANO TELLERO,  
PHIL. ET JURIIUM D.

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO  
MAXIME HONORANDO

DISPUTABIT

AUCTOR

EZECHIEL GÜNTZER/  
CYGN. MISN.

IN AUDITORIO PETRINO

AD D. XVII. JUNII.

M DC LXIX.

LIPSIAE

Typis JOHANNIS GEORGI.

*R. D. D. Fair...*